

plantis in horto regio educatis maturuère semina. Utinam hæc opum nostrarum pars optima sit tibi jucundum nostri erga te studii et gratæ recordationis testimonium!

Vianelli vermes in aquâ marinâ noctu lucentes vel potius scintillantes nunquam observavi. Proposita ab authore figura indicat hos esse minutissimas Scolopendras, seu Nereides a te nominatas, quas iterum recognovit et microscopii ope accuratius delineavit Griselini alter Italus. Ab illis animalculis lumen per æquora sparsum et late diffusum proficisci dixerunt nonnulli physici, et ab aliâ causâ oriri nuperrimis observationibus et experimentis demonstravit juvenis medicus Le Roy Parisiensis, scilicet a materiâ quâdam *phosphorinâ* aquis immixtâ marinis. Hanc opinionem tueri videntur, æstuantes maris fluctus lucidi, ampla illius superficies noctu sæpe fulgens, vestigia navium corusca, ipsam navem circumfluentes undæ radiosæ, remigia quorum pars immersa splendet emersa, aqua marina cum in tenebris effunditur quasi lumine plena, tandem linteum guttis ejusdem aquæ irroratum, postea manibus siccatum, per spatia irradians, etsi prius in illâ aquâ nulli fuerint detecti vermes vel cujuslibet generis insecta. Curiosam hac de re coram Academiâ Regiâ Scientiarum legit dissertationem. Donati historiam Maris Adriatici non novi; quæso quo prodierit anno, titulum hujus operis, et quâ in urbe editum, inde protinus comparabo, et dicam si fuerint recte depicti vermes Corallii.

Spica florum quam habuisti a Sueco e Parisiis reduce, est *Phytolacca Americana*, in horto dudum culta. Stamina numero sunt triginta et amplius, styli vero quinque; hinc polyandris pentagynis annumeranda, singularis admodum species, quæ tantopere distat a constituto caractere. Sicca specimina vidisti in nostro Musæo et hanc plantam vocabas, *Phytolacca caule arboreo*; a Plumerio nec descripta nec observata, licet calidas Americæ regiones habitet, sed ditionis Hispanæ.\*

Diversum a *Lonicerâ* reposcit genus *Chamæpericlymenum Canadense*, seu *Baccifera Mariana*, etc. Pet. Mus. 363, nec ullum cum Linnæâ habet consortium.† Titulis aliis insignita a Coffeâ in ordine naturali non longe recedit, simulque *Galii*, *Rubiæ*, *Crucianellæ*, etc. prosapiam ingreditur. In Horto Regio floruit quondam et brevi periit. Plantam virentem fructus et specimina sicca ab amico Regis conciliario et medico ‡ in

\* *Phytolacca dioica*, L. Sp., sæpe in hortis *arborea* salutatur.

† Recta de hac plantâ Bernardi sententia, in quam ivit Linnæus in dissertatione paulo post editâ (*Nova Plantarum Genera*, resp. L. J. Chenon, Upsaliæ, Oct. 1751, et in *Amœn. Acad.*, Vol. III.), ubi sub nomine *Mitchellæ repentis* species novi generis instituitur.

‡ SARRAZIN cui genus *Sarracena* ab amico Antonio de Jussieu in *Appendicibus ad Tournefortii Institutiones Rei Herbariæ* (anno 1719) sacratum. E Canadâ, quam jamdudum, ut hæc data testatur, colebat, missarum ab ipso plantarum catalogum habemus manu Antonii ipsius scriptum. In quibusdam libris (e. g.